3

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS, DE VARIOLIS;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,

Et nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

JACOBUS DE COURCY,

HIBERNUS,

A. B. COLLEGII SACROSANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS JUXTA DUBLIN,

ET REGIÆ SOCIETATIS MEDICÆ DUBLINIENSIS SOCIUS EXTRAORDINARIUS.

Ad diem 12 Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

APUD MURRAY ET COCHRANE.

MDCCXCV.

LAURENTIO PARSONS,

EQUITI BARONETTO,

VIRO IMPRIMIS DOCTO,

SENATORI INTEGERRIMO,

ET DE PATRIA SEMPER OPTIME MERITO,

ELOQUENTIA, VIRTUTE, MULTISQUE ALIIS

PRÆCLARIS ANIMI DOTIBUS INSIGNI,

PROPTER BENEFICIA IN SE COLLATA,

GRATO, QUO PAR EST, ANIMO,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS DICATAS ESSE VULT

JACOBUS DE COURCY.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

VARIOLIS.

Auctore JACOBO DE COURCY, *A. B.*

VARIOLARUM hiſtoriam medici Arabici nobis primi tradiderunt. Ex Arabicis, quorum ſcripta ad nos pervenerint, RHAZES, qui in nona vixit centuria, primus hunc morbum deſcripſit. Secundùm relationem ab illo traditam, Variolarum originem a ſexcenteſimo vel quingenteſimo ſeptuageſimo Chriſti anno repetere poſſumus. Argumentum indè nonnulli deducunt, hunc morbum veteribus, et Græcis et Latinis, ignotum fuiſſe medicis. " Inquiunt enim, HIPPO-" CRATES et alii, qui tàm accuratè alios deſcrip-

"ferunt morbos, hunc ſilentio non præterirent "ſi illis notus eſſet." Alii contrà notum fuiſſe antiquis aſſerunt, et ab HIPPOCRATE, GALENO, AETIO, aliiſque veteribus medicis, ſub nomine exanthematum memoratum; et Arabicos de Variolis mentionem facere, non ut novo morbo, quod certe facerent, ſi temporibus priſcis ignotæ et tum primùm viſæ; et quanquam exanthemata veterum cum Variolis modernorum in omnibus non quadrare videntur, tamèn perpendere debemus, quòd differentia cœli, cibi, regionis, moriſque vivendi hominum, eundem morbum multum variare faciat, et Variolæ hodiernorum non eodem ſempèr aſpectu appareant, imò ea eſt differentia nonnunquàm, ut peritus medicus in dubio hereat an hujus morbi ſpecies quaſdam ad genus commune referat, an potiùs ut novos, et non anteà viſos, delinearet morbos.

Non mihi animus in præſens hanc diſcutere rem, nec inquirere utrùm ſemina morbi rudimentis primis humani corporis coætanea ſint, et in compoſitionem ejus intexta in ipſis organizationis primordiis,

primordiis, an in fœtum a repurgamentis et impuritatibus materni ſanguinis derivantur. Has diſquiſitiones, quanquàm per ſe graves, et ſcrutatu dignas, non attingam, ſed aliis diſputandas relinquam, qui fortaſſe in hac re conſideranda, oleum et operam omninò ſibi perire non putarent; mihi vero ſat eſt obſervare, omnes ſaltèm ſemèl huic morbo obnoxios eſſe, ſed infantes omnium maximè, ſenes vero minimè.

Utrùm hoc accidit, quòd eſt in humano corpore principium quoddam Variolarum miaſma accipiens, quod gradatim imminuitur, et per tempus ſæpè penitùs aboletur, an hæc impotentia in ſenibus morbum progignendi a rigiditate fibrarum et ſuccis imminutis provenit, non poſſum dicere. Hoc certum eſt, quòd obſervamus corpus humanum aliàs huic morbo magìs obnoxium, aliàs verò minùs; an a propenſitate corporis eo temporis in morbum, an a conſtitutione quadam aëris tunc prævalente, non auſim affirmare. Fortaſsè felix concordia amborum neceſſaria eſt ad procreandum hoc monſtrum, et cùm unum abſit alterum

per se inefficax est. Quonam enim alio modo exponere possumus, hominem non hoc corripi morbo, qui in domo infesta vivit, tractat et versatur cum eo laborantibus, et frequentèr ab eorum corporibus effluvia in suum accipit corpus; posteà tamèn morbum contrahit, cùm horum nullum culpare potest? Quid dicemus de homine, qui frustrà inoculationem passus est, etsi alii eodem tempore, per eundem operatorem, ex eadem infectione, ante et post illum Variolas conceperunt, cùm illum posteà videmus morbo laborantem per modum naturalem contracto?

Variolas in naturales et artificiales mihi dividere libet: Fortassè magìs propriè dicerem involuntarias et voluntarias. Per prius verbum volo, Variolas per modos sensibus non obvios excitatas, sine voluntate ægri; per posterius, eas inoculatione aliisque huic similibus modis communicatas cum consensu et voluntate ægri, vel amicorum ejus. De his singulis ordine jam tradito dicam.

Naturales dividuntur in discretas, distinctas, vel simplices, et concretas, confluentes, complices,

vel

vel malignas; et harum ſingulæ iterùm ſubdividi poſſunt in alias atque alias ſpecies, denominandas ex numero et forma puſtularum, vel aſpectu morbi. Cryſtallinæ, ſiliquoſæ, verrucoſæ, ſunt nomina diverſis hujus morbi ſpeciebus impoſita.

Cùm Variolæ naturales aliquem corripiant, primùm ſentit languorem et laſſitudinem; paulò pòſt alia clariora morbi ſymptomata ſequuntur, viz. rigores, horripilatio pandiculatione et oſcitatione comitata, febris acuta, multus et conſtans ardor, multum doloris, in capite, tergo, lumbis, et ſcrobiculo cordis, nauſea et vomitus, inquietudo multa, difficultas reſpirandi, vox rauca, pruritus narium et aurium, gravitas palpebrarum, oculi rubri, lachrymoſi, ſtupor, ſomnolentia, terror in ſomno, urina pallida, convulſiones in infantibus, et ad ſudorem propenſitas in adultis. Hæc duo poſtrema ſymptomata morbum mitiorem et benigniorem ſæpè præcedunt.

Si prima hæc febris vehemens ſit, non abs re erit ſanguinem detrahere ægro; et hìc ætas, conſtitutio, habitus, et vires ejus reſpiciendæ ſint, et

medici

medici praxin dirigere debeant. Robuſto plenoque homini, et ætate florenti, duodecim vel quatuordecim ſanguinis unciæ una vice ſine detrimento detrahi poſſint, et par quantitas poſtero die, ſi prima venæſectione ſymptomata non miteſcant. Sufficiente ſanguinis quantitate effluxâ, quæ pulſuum ſtatui et viribus ægri ſempèr adæquanda eſt, emeticum exhiberi debet. Hìc tartarus antimonialis omnibus anteferendus aliis. Corpus ante eruptionem puſtularum ſine periculo purgari poteſt. Soda vitriolata, tartarizata, vel phoſphorata, aut infuſum tamarindorum cùm ſenna, hanc intentionem expleant.

Eruptio plerumque tertio vel quarto ab invaſione morbi apparet die; aliàs citiùs, aliàs verò ſeriùs. Quò citiùs puſtulæ ſeſe oſtendent, eo periculoſior morbus habetur; et quo ſeriùs, eo feliciùs morbus terminari putatur. Indè quidam puſtularum eruptionem retardare et moderari monent, quantùm fieri poteſt, habendo ægrum aëre in frigidulo; et quidèm maxima adhibenda eſt cura, ut æger purum et ſubfrigidum aërem inſpi-

ret,

ret, quoniàm calidus reſpirationem difficilem reddit, urinæ ſecretionem minuit, et puſtularum numerum, etiàm in internis corporis partibus, adauget, quarum ſequelæ inflammationes, et finem verſus gangrænæ, non ſine cauſa timendæ.

Cùm puſtulæ in facie et ſuperiori corporis parte nimis confertæ appareant, nonnulli, ad revulſionem ad inferiores extremitates faciendam, e malleolo pedis ſanguinem emittere jubent, pedes aquâ tepidâ vel decocto aliquo emolliente lavare, plantis pedum ſinapiſmos applicare, et inferiores extremitates benè tectas et calidas ſervare, ſuperiorem verò corporis partem frigidiuſculam et aëri expoſitam habere.

Æger ne lectum petat, quantùm poteſt, prohiberi debeat, et deambulare cogatur, ſi vires ſinent. Hoc regimen corpus temperatum et febrem leviorem reddet, et ipſum quietis commodis frui faciet, cùm feſſa natura laſſitudinem diutiùs ferre recuſat, ſed recreationem lecto et ſomno quærit.

Ægrotus affatìm bibere debeat decoctum hordei vel avenæ ſucco limonum vel aurantiorum

acidum

acidum factum, aut quarta parte lactis novi mixtum, ſerum lactis, cereviſiam tenuem, ſerum vinoſum, aut factum decoquendis pomis in lacte, emulſiones ex decocto hordei et amygdalis, vel vinum Rhenanum aqua dilutum.

Cibus debet eſſe tenuis, refrigerans, putrefactioni reſiſtens, facilis concoctu, ſimùlque ægri palato gratus, frumentarium, cibus vocatus *bread-berry*, poma cocta, piſta, vel toſta, multùm laudantur ad hanc intentionem implendam, et ſanè aptiſſima ſunt hoc morbo laborantibus. Juſculum vitulinum vel pullinum his permitti debeat, qui talibus uti ſolebant; ſempèr enim ægri habitum et vivendi conſuetudinem reſpicere debemus.

Quæ hactenùs dixi præcipuè Variolas diſcretas aut ſimplices reſpiciunt. Poſſunt mutatione parva, quæ medici judicio relinquenda, etiam confluentibus accommodari.

Confluentes dignoſcuntur apparendo citiùs, numero et figura puſtularum; et ut in diſcretis violentia ſymptomatum, puſtulis apparentibus, deſævit, ſic e contrà in hac ſpecie, ſymptomata perſtant

ſtant omnia, imò ingraveſcunt nonnunquàm etiam poſt puſtularum eruptionem, quanquàm ſæpè miteſcunt cùm puſtulæ jam apparuerint.

Symptomata diſcretarum omnia confluentes quoque comitantur, ſed gradu vehementiori. Salivatio plerùmque adultos in hac ſpecie moleſtat, quæ aliquandò a prima eruptione, plerùmque vero ſecundo vel tertio eruptionis die incipit. Materies primò eſt tenuis, et magna copia exputa, ſed decimo vel undecimo ferè die, aut citiùs, lenta et viſcida evadit, et magna cum difficultate rejicitur. Et ut hæc ſalivatio et tumefactio faciei decreſcunt undecimo vel duodecimo die, manus et pedes tumeſcere debeant, ſi jam non ſint tumidi; ſi ſint, in eo ſtatu aliquot dies permanere debeant.

Infantes in hac ſpecie plerumque diarrhœâ laborant, quæ quandócunquè incipit per reliquum morbi curſum durat, ſi non intempeſtivè ſupprimitur.

Petechiæ aliquandò inter puſtulas apparent. Hæ diſſolutionem et putredinem ſanguinis et humo-

rum denotant; ideoquè cortex Peruvianus ſtatìm dari debet, doſibus tantis quantas ægri ſtomachus ferre valebit: vinum rubrum quoque hic non parca dandum manu.

Hæc formula corticem exhibendi a nonnullis laudatur.

R. pulv. cort. Per. ʒij
Aq. fontanæ ℥iij.
Aq. cinnam. ſimp. ℥i.
Syrup limon. ℥ij. m. addendo
Spiritus vitrioli ten. q. s. ad. gratum.

Acorem. Hujus miſturæ cochlearia magna iij. adulto ſingulis horis exhiberi debeant, infanti verò, i. ſi ſtomachus ferre valebit. SYDENHAM, ſpiritus vitrioli guttas XL magno in vehiculo, ſolitus erat dare iis ex patientibus, qui talem doſin ferrent, et paucas poſt horas, ſine diſcriminis metu, doſis repetebatur. Et ſanè mira efficiuntur per corticem, vinum, et acida, talibus in circumſtantiis. Et ut petechiæ, quocunque ſint colore, ſanguinem diſſolutum denotant, propoſitum itaque erit hunc addenſare. Nihil aptius ad hoc effi-

ciendum

ciendum quàm acida, vitriolicum præſertìm. Quidam præcipiunt tres partes aluminis, et unam ſucci inſpiſſati, *dragon's blood* vocati, commixtas, liquefieri ſuper ignem, et maſſam frigefactam in pulverem redigi; hujus pulveris ſcrupulum, cum conſervæ roſarum quantum ſufficit, in bolum formari, et pro doſi dari. MEAD ait, convenientiſſimum ſpiritus vitrioli exhibendi modum eſſe in tinctura roſarum, cujus quinque vel ſex cochlearia poſſint dari ſæpiùs in die.

Ægri potus in tali ſtatu generoſus eſſe debet, ſicùt vinum vel negus acidulus factus acido vitrioli, aceto, ſucco limonum, gelatinâ ribium, vel ſimilibus. Cibus ſit poma cocta aut piſta, ut anteà dixi, ceraſa condita, pruna, et alii hujuſmodi fructus acidæ naturæ.

Cùm eruptio ſubitò ſubſidit, emplaſtra epiſpaſtica ſtatìm applicanda ſunt carpis, et pedum malleolis; et ægri ſpiritus ſuffulciendi cardiacis; cyathus vini meracioris, vel aquâ menthæ aut cinnamomi diluti, huic intentioni reſpondet.

Cùm Variolæ confluentes ſint peſſimi generis,

authores quidam monent pustulas aureâ vel argenteâ aciculâ aperiri, pusque abstergi, et corpus involvi emplastro meliloti; hac enim methodo resorptionem materiæ putridæ per venas lymphaticas magna ex parte prohiberi sperant, quæ præcipua est causa febris secundariæ tàm metuendæ, quippè quæ tàm sæpè fatalis in hac specie extitit.

Cum res ad desperationem venit, authores proponunt incisiones ad vivum usquè multis in corporis partibus fieri, et fomentationes ex decocto aliquo emollienti, addito spiritu vini camphorato, partibus adhibendas, ad suppurationem promovendam, effluxumque puris accersendum, huncque effluxum digestivis fovendum idoneis. Cùm omnia in tuto sint, morbo felicitèr finito, alvus semèl atque iterùm subducenda est.

Quantum temporis variolosum miasma modo communi contractum requirit ad suos producendos effectus, non adhùc, quoàd ego scio, pro certo fixum. Georgius Fordyce, medicus non contemnendus, in tractatu cui titulo, *Evidence of Medicine* dicit, quòd ipse, Doctorem Ruther-

FORD, hujus collegii quondàm professorem celeberrimum, in prælectionibus audivisset narrantem, de manu militum iter faciente per vicum in quo tum Variolæ grassabantur, quorum multi, duodecimo post die, morbo corripiebantur. Hoc sane probabile est argumentum, virus Variolosum, via communi receptum, duodecim postulare dies ad vires suas exerendas; et nobis confidentiam et animos suppeditet, nè timeamus immunes a Variolis in loca illis infesta adducere, Variolarum inserendi gratiâ; insitæ enim citiùs sese ostendent, et quoniàm sempèr mitiores, eventu suo bono, malum, a naturalibus timendum, antecapient.

INOCULATIO, vel methodus inserendi Variolas artificiales vel voluntarias, pars altera subjecti mei, non benè nota erat in Europa ante initium præsentis centuriæ. Anno 1713, Doctores Medici TIMONI et PYLARINI, alius aliam hujus novi inventi relationem et modum operandi, a Constantinopoli transmiserunt. Ex hisce relationibus, Græcam

Græcam aniculam hanc artem illìc primò exercuiſſe diſcimus. Secundum TIMONI relationem, Græci hanc exercebant artem 40 annos ante ipſius adventum Conſtantinopolim, anno 1705. PYLARINI verum inventorem ignotum eſſe affirmat, et quòd in illa Græciæ parte Theſſàlia vocata primò exerceretur, quòd alias vicinas urbes et regiones pervagata, tandèm Conſtantinopolim perveniſſet, ubi diù neglecta fuit.

Veriſimile eſt Circaſſianos vel Georgianos hujus artis pretioſæ inventores fuiſſe, quippè qui inſignitèr ſoliciti ſint de faciei venuſtate ſervanda, et omnem ſtudeant artem, quæ eam meliorem et pulchriorem reddere poteſt; et per hos in Græciam illatam fuiſſe primùm.

Non omninò mirandum eſt hanc novam Variolas producendi methodum apud Turcas non benè acceptam, cùm hujus populi ignorantiam et religionem conſideremus. Monarchia non eſt natale ſolum artium et inventionum; florent melius et luxuriantur magis in ſibi congenito, reipublicæ libertatis ſolo. Quòd rejiceretur, imò penè ſtrangularetur

retur in ipſo ortu, idque in regionibus ubi imperium minùs abſolutum, et ubi lumen religionis et philoſophiæ radiis fulgentibus illuxit, ad abigendas ab animo denſas mœſtæ ſuperſtitionis nebulas, mihi mirum videtur.

Cùm hæc nova ars in hanc mundi partem primò introducta eſſet, cœtus et factiones ad gradum retardandum, et gloriam ejus obſcurandum, ubique formabantur. Statìm limis oculis Invidia, cum ſua pediſequorum cohorte inferna, in illam inſurrexit; et cùm per ſe non ſatis eſſet ad progreſſum et incrementum reprimendum, ad auxilium ſuum Superſtitionem vocavit. Domina ſubtriſtis Superſtitio, veſtem induta Religionis, ſiſtrum ſuum concuſſit, quod, Tritonis conchæ haud abſimilitèr, terram ſub utroque jacentem Phœbo implevit; quo audito, ſtatìm Evangelii Miniſtri ad arma currunt, anathemata in illam Pulpita omnia jaculantur. Concionator extemporaneus * cadi

* Author alludit ad hunc Popii verſum, "Henley's "Gilt Tub," &c. Vide Dunciadis lib. ſecundi initium.

cadi, cum doctrina regenerationis, gratiæ liberæ, et internæ manifestationis, haud minùs obstrepebat, quàm sacerdos superstitiosus, vel liberalior minister. Doctores omnium sectarum, quantumvìs inter se discrepantes in dogmatibus et opinionibus de rebus religiosis, in hostem communem consenserunt; sed veritas et utilitas falsitatem et machinationem superaverunt, et inoculationis propugnatores, post pugnas non paucas, victoriam retulerunt.

Hic erat modus operandi apud Græcos.

Operator, aciculâ chirurgicâ, vel lanceolâ, cutem multis in locis vulnerabat, sic ut sanguis sequeretur; materiam variolosam, a pustulis recentem locis vulneratis impositam, cum sanguine benè commiscuit; tunc pars dimidio juglandis putamine tegebatur, nè infectio abstergeretur; paucis pòst horis, totus apparatus removebatur. Hìc notandum est, quòd rarissimè uterentur materiâ Variolis insitis desumptâ ad alios inoculandos. Operatio fiebat in individuis omnium ætatum, sexuum, et temperamentorum, et in pessima aëris constitu-

tione;

tione; nullus tamen obiit Variolis insitione excitis. Operatio nonnunquàm peragebatur frustrà. Tempus opportunissimum habebatur initium hyemis, vel veris finis. Eruptio apparebat septimo exeunte, vel octavo ineunte die.

Variolæ artificiales multa habent commoda, quibus omninò carent naturales; quorum, quòd possumus tempus eas communicandi eligere, non est minimum.

Infantes non existimantur idonei ad inoculandum, propter teneritudinem, propensitatem ad spasmos, et impotentiam obluctandi impetui graviori morbi, si talis contigeret illis. Sed nonnullos vidi infantes, unam verò quatuor tantùm menses natam, hyeme proximè elapsâ, in Nosocomio Regio hujus loci, tàm benè morbum sustinere, curâ ingeniosi Doctoris Home, ut eos vix ægrotare putares.

Ætas ad operationem aptissima, annus tertius habetur, vel cùm dentes primi jam apparuerint omnes.

An corpus præparare ad Variolas accipiendas necesse sit, non inter omnes adhùc convenit.

Alii enim putant, quòd nulla præparatio necesſaria ſit illi, qui benè valet; alii verò, e contrà, cum obſervaverint Variolas naturales feliciùs procedere poſt magnam aliquam evacuationem, qualis eſt ſalivatio, longam præparationem ſuadent. Media inter has duas vias tutiſſima eſt ineunda, neque vires patientis, nimìs longa et jejuna præparatione abſumere, nec temerè infectionem communicare homini, cujus corpus eſt delicatè tractatum, humoribus craſſis et impuris plenum, et liquoribus ſpirituoſis fortaſsè inflammatum. Præparatio reddi poteſt facillima et ſimpliciſſima. Paucæ doſes medicamenti alicujus laxantis, qualis pulvis jalappæ compoſitus, infuſum tamarindorum cum ſenna, ſoda vitriolata, tartarizata, vel phoſphorata, ſufficient.

Authores rem nullius momenti putant, utrùm a Variolis diſcretis vel confluentibus materiam ad alios inoculandos ſumas, niſi verò ad amicis eorum gratificandum; quoniàm bonus vel malus eventus pendet magis a conditione corporis, puritate vel pravitate ſuccorum ejus, conſtitutione aëris, et

modo

modo quo tractatur morbus, quàm ab ulla differentia in qualitate materiæ.

Mos Variolos emptione comparandi a multis invaluit annis in Wallia Auftrali, a nonaginta minimùm ante inoculationem in hac Europæ parte notam. Pus emptum, et puftulis defumptum maturis, brachiorum cuti multis in locis infricabatur, vel loca pungebantur aciculis, talibufve inftrumentis pure imbutis; et quamvìs præparationem neglexerant, tamèn res benè fucceffit.

Chinenfes hoc modo Variolas communicant; cruftas illarum goffipio involutas naribus ejus fubdunt cui morbum arceffere volunt. Hæc methodus non multùm differt à modo naturali morbum contrahendi, faltem non minùs habet periculi.

Sutton, anno 1755, novam introduxit methodum, quæ reverà nihil aliud erat quàm Græcæ aniculæ praxin fimpliciffimam renovare. Tota ejus ars et fecretum conftabat in exhibenda pilula Mercuriali ante operationem, et iterùm priufquàm eruptio appareret, et ftrictè regimen antiphlogifticum obfervando, et patientes fuos aëri

puro

puro et ſubfrigido exponendo, quæ ante eum omnes neglexerant practici.

Operatio hoc modo fit; punctura facienda in brachio phlebotomi mucrone, in pus varioloſum, recentèr e puſtulis ſumptum, priùs immerſo, vel mucro phlebotomi modeſiat filo laneo aut goſſipino materiâ variolosâ benè imbuto, et aquâ frigidâ madido.

Si tumefactio aut inflammatio in brachio appareat octavo vel nono poſt operationem die, aut quovis alio tempore, febre eruptiva durante, lavare liceat frequentèr aquâ frigidâ. Quòd ad potum, aërem frigidum, &c. attinet, tàm benè nota ſunt, ut mihi non opus ſit, hoc in loco, in illis morari. Cùm totus curſus felicitèr finitus ſit, alvus ſemèl atque iterùm purgari debeat.

F I N I S.